



58



7c1858

1.  
2.  
3.  
4.  
5.  
6.  
7.  
8.  
9.  
10.  
11.  
12.  
13.  
14.  
15.  
16.  
17.  
18.



2.

ORATIO  
DE  
BONI SCHOLAE RECTORIS  
OFFICIO

QVA  
AVCTORITATE ET NOMINE  
AMPLISSIMI SENATVS HALENSIS

VIRVM  
CLARISSIMVM ATQVE DOCTISSIMVM  
M. IOANNEM PETRVM  
MILLERVM

GYMNASII HALENSIS RECTOREM ET SOCIET. DVC.  
TEVT. HELMST. MEMBRVM HONOR.

A. D. XXVI. AVGVSTI A. O. R. S. MDCCCLIV.

IN NOVVM MVNVS

IMMISIT  
MATTHIAS FRIDERICVS GADEN

SCABINATVS IN DVCATV MAGDEBVRGICO ADSESSOR  
CIVITATIS SYNDICVS ET GYMNASII  
SCHOLARCHA.

---

HALAE MAGDEB. LITTERIS HENDELIANIS.



ORATIO  
POMI SCHOLAE RECTORIS  
OFFICIO

AMPLISSIMI SENATUS HALLENSIS  
VIRI  
CLARISSIMUM ACADEMIAE DOCTISSIMUM

M. JOHANNEM PETRUM  
MILLERUM

GUARDIAE HALLENSIS RECTOREM ET SOCIUM  
ET HALLENSIS MEMBRUM  
IN HALLI  
M. D. C. C. C. C. C.

ATTILIAS FREDERICUS GADEN  
HALLI  
M. D. C. C. C. C. C.





uum mihi hodie, Auditores Spectatissimi, in hoc bonæ  
mentis templo, publice verba facienda sint, atque de ar-  
gumento, quod neque ab hoc loco, quem occupo, ne-  
que a negotio, quod iam iam paramus, plane sit alien-  
num, mecum cogitarem, illico in mentem venit; in  
scholis de re scholastica & quod eo pertinet, non posse non dici  
quam maxime opportune. Si enim in curia de legibus sumtuariis,  
de danda negandaue Ciuitate; in foro de reseccandis litibus, inten-  
tandis actionibus, perorandis causis, probandi mediis & demum per  
sententiam eas definiendis; in rusticatione, de re pccuaria, quæ tem-  
pora sint sementis faciendæ, quæ messis colligendæ, quæ cædendæ  
materiæ, fari decet ac prodest: quid, quæso Vos, Auditores, hoc  
tempore, hoc rerum articulo, quo Rector Gymnasii nouus, more  
maiorum inaugurandus est, adcommodarius, quid conuenientius  
esse potest quam, *de officio boni scholæ rectoris*, disserere paulo  
curarius. Ab exemplis enim si iudicare licet, præsto sunt & ad ma-  
nus Facciolarus, Aonius Palearius, Maioragius, Cunæus, Viri lit-  
teratissimi æque ac latinissimi: quorum orationes, quas stilo cul-  
tissimo signatas reliquere, non nisi plurimam partem, argumeta  
scholastica loquuntur. Verbi causa: de ratione studiorum ineun-  
da; de necessitate & præstantia literarum; de lectione auctorum

## IV

classicorum; de exercitationibus oratoriis; de pueris ad latinam eloquentiam informandis, & quid non? Præterquam quod Cunnæus, utpote apud Leidenses iuris antecessor famigeratissimus, & ipse literis amcenioribus mirifice tinctus, nonnulla e iure ciuili petita tractauit. Facciolatus vero & Maioragius, plane diuersam inisse rationem videntur. Quorum alter oratione prima: Latinam linguam non ex Grammaticorum libris esse comparandam, alter vero, Oratione, ni fallor, vigesima: de Grammaticæ artis excellentia, uterque id egit, ut, quam quisque defendendam suscepisset sententiam, tueretur quam doctissime. Enimvero, vt nostrum non sit, hæc componere lites, media tamen via tutissimum iri, neque enim Grammatices regulas plane esse spernendas, neque tamen solas, ad comparandam linguam, inter eruditos fere communem, sufficere arbitramur. Siquidem vtique aliud est grammaticæ, aliud romane & terse, ita vt latini sermonis natiuus lepor seruetur, loqui & scribere. Nisi forte Maioragius, sub nomine Grammatici & Grammatices, more veterum, artem criticam, vt omnino videtur, in primis intellectam velit. Est enim, inquit, quiddam maius, quam plerique homines opinentur, Grammaticum se profiteri. At vero, tempori vt paream, Auditores, nolo vos prolixiori verborum ambitu morari, sed, quod mihi propositum est, quam fieri potest breuissime, exsequar. Quapropter, vt orationi meæ patientes ad commodetis aures, quam decentissime rogo.

Non heri aut nudiùs tertius, sed plane olim, hæc cordatioribus mortalium fedit sententia, scholas reipublicæ esse seminaria ac fulcra. Si enim verum est, de quo nemo dubitat, homines propter corruptelas, vniuerso generi humano insitas, virtute & intelligentia præditos non nasci sed fieri; quin & experientia docet, nos cognitionis omnium expertes in hoc mundi theatrum prodire: sequitur inde scholas, in quibus teneræ adolescentium mentes, ad pietatem, ad virtutes christianas, ad litteras, ad bonos mores, fideli quauis institutione erudiuntur, oppido esse necessarias, quibus saluis, vel valere iussis, stare cadereque vrbes, templa, curias. Quam ob rem Carolus Quintus, Cæsar Augustus, non potuit non, quin inter indicia rei publicæ bene constitutæ, scholas recte ordinatas, earumque

con.

conditionem intuendam censuerit. Nam plurimum intererit olim,  
monente Horatio:

*Quibus artibus, & quibus hunc tu  
moribus instituas.*

Et alius præcepta descendunt, teneris quæ imprimuntur ætatibus. Apud Romanos, prudentissimos homines, hæc præ ceteris Censuram erat inspectio: ne quid res scholastica, seu publica, seu priuata, vitii contraheret ex indulgentia parentum, qui in educatione liberorum, circa corrigenda, ut plurimum vel cæcutire, vel saltem haud acute cernere soleant. Idcirco Magistratui Curuli, magnæque utique auctoritatis, hanc prouinciam delegabant; probe perpendentes, a salute scholarum, ciuitatis vniversæ salutem seiungi non posse. Quid? quod in Codice Iustiniano nostro, peculiaris titulus: de studiis liberalibus vrbs Romæ, deprehenditur, quem Hermannus Conringius, vir magni nominis, dissertatione singulari, cui multa, ad emendandam rem scholasticam, vniuersim inspersa sunt, illustrauit. Sicuti itaque educatio ac institutio iuuentutis, recte vel perperam facta; ita, cum adoleuerit, vel vberimum vel exiguum, vel plane nullum fructum, ad vitam ciuilem transfert. Perinde ut horrus pereat necesse est, nisi olitor, in fenescantium vel demortuarum locum, nouellas inserat, furculos præscindat, distortas corrigan. Quæ cum ita sint, vere Liuius dixit: parua quidem ista censi posse, non tamen esse contemnenda, cum & maiores maximam istam rem publicam fecerint. Vbinam vero hæc institutio melius ac felicius, quin imo & minoribus impensis fieri potest, quam in istis liberalium artium officinis, a quouis religioso Magistratu in hunc finem publice adornatis, ut ibi semina virtutum ac bonarum artium spargantur, ingenia iuuenum ad quæuis honesta, ac in vita communi vtilia, formentur, ruditas ex animis euellatur, ac corrigatur ad vitium ætas procliuus. Quæ adhuc paucis disserui, Auditores, ut magis elucescant, illustrabo exemplo insigni. Cum Iulianus Cæsar, ab apostasia cognominatus, princeps alias doctus, Christianis agre facere vellet, id sibi in primis agendum esse putabat, ut scholis interdiceret illis. Hoc consilio effici posse, licet falso, sibi persuadebat, inducta prius barbarie,

seu potius ingenii ruditate, doctrinam de Christo seruatore, vel nullo negotio, extirpari posse. E contrario profanorum cultores sacrorum, in vita ac moribus emendandos curabat: virtutes virtutibus oppositurus. Quippe simulacris virtutum, veras Christianorum virtutes oppugnari posse, existimabat princeps, curator sui ipsius malus, rei Christianæ peior.

Germaniam nostram quod attinet, Auditores, antiquam, utpote horridam adspectu, informem terris, asperam celo, indigenas habuit, referente Tacito, cultus omnis ingenii rudes, nisi plane analphabetos, id quod tamen Ioannes Augustus Egenolfus in dubium vocare annititur, runicas litteras ipsis adscribens. Nolite itaque querere, Auditores, an scholas habuerint eo tempore, quum Græcia iam illustrata disciplinis ac ornata sapientibus, veluti sideribus calum, esset: quum Romæ iam litterarum studia florent, quæ humanitatis nomine ea propter insignita, quod e fera agrestique vita, ad humanum cultum civilemque mortales ducunt. At vero simulac sua Romani victricia arma ad Germanos proferrent, positis in arcifinio, in ripa Rheni, castellis quam plurimis, ad collocanda inibi præsidia, quæ deinceps vrbes factæ, & a populis Germanis habitatæ; opinabile mihi est, scholas aut quid simile, pedetentim inualuisse. Quippe cum moris fuerit Romanis, quos bello vicerant populis, & linguam, & leges, & instituta tantum non imperare. Id quod an sine omni institutione publica effici potuerit, ad dubitauerim. Quam opinionem meam *Eumenii Rhetoris oratio*, panegyricis veterum inserta & lectu dignissima:

*de restaurandis scholis Aduorum,*

confirmare videtur. Quæ Augustoduni Cluiæne, regnante Constantio Chloro, habita fuerit, adhuc sub iudice lis est: quamquam pro illis, qui Augustoduno hunc honorem adsignant, rationes militant verosimiliores, sicuti in programmate demonstrauius. Seculo demum octauo, quum Carolus, ob res præclare gestas, magnus dictus, Saxones, sacra Christianorum aspernantes, ditionis suæ fecisset, facile videbat princeps magnanimus ac religiosus, imperium in hæc gentes, nimium quantum feroces, vix fore diuturnum ac stabile, nisi religione & studiis mitescerent ingenia, pa-

ganis.



ganismo a pueris innutrita. Iccirco ad instituendas scholas in Episcopatibus ac monasteriis animum appulit; Consilio Alcuini, cuiusdam Angli, accessitis Roma scholarum magistris, ubi tunc temporis iam scholæ peregrinorum, Francorum, Frisonum, Saxonum, Longobardorum innotuerant. Qua de re Ioannes Lauinoius, Theologus Parisiensis, in peculiari scripto, multa singularia memorie prodidit, ac ordine has scholas, nimirum

*Palatinam,*  
*Osnabrugensem,*  
*Fuldensem,*  
*Turonensem,*  
*Lugdunensem,*  
*Fontanellensem,*  
*Metensem,*

omnes ac singulas a Carolo Magno conditas, commemorat. Ex eo tempore, Auditores, maioribus nostris lux quædam in litteris, at subobscura, adfulsit, quæ mox per ignorantie magistrorum, per aliquot seculorum decursus, deturpato liberalium artium habitu, eo usque imminuta, tantum abest ut aucta fuerit, ut tantum non in tenebris ac vinculis, sine omni nobilitate iacerent tantisper dum, cum emendatione sacrorum, alma dies illuxerit melioribus litteris. Quæ, absterso squalore seruitutis, in libertatem se vindicarunt apud nostrates, ut vel more tralatitio verba Maronis mea facere queam:

*Et que tanta fuit Romam tibi causa videndi?*

*Libertas, que sera tamen respexit inertem.*

Hisce, Auditores, præmissis, reuertor vnde digressus sum. A bono itaque scholæ rectore requiro primo: ut studiis scholasticis, id est, iis doctrinis, quæ ad humanitatem pertinent, ipse ex asse sit instructus; deinde, ut prudentia scholastica; & demum, ut dono seu facultate regendi scholam, sit præditus. Primum quod attinet, adeo necessarium est, ut a bono, præsertim paulo illustrioris ac maioris commatis, scholæ rectore, neuiquam abesse possit. Est enim ille caput ac ductor sui ordinis. Magistri inter se collegium, & compages illa scholastica in re publica, eiusdem partem constituunt. Primus itaque in ordine, pietate, sanctitate morum, doctri-

na:

### VIII

na, præstantia præeat, ornet, moneat suo ipsius exemplo, vnde ceteri quod imitentur sibi capiant. Finis scholarum eiusmodi est, vel esse debet, vt ingenia iuuenum, in Superioribus Subselliis, ad studia academica initiata, ita formentur; ne fundamentis virtuosè factis, deinceps quum ad altiora progressus sunt, substructiones corruant. Præter Theologiam itaque scholæ rector linguas, græcam, hebræam, latinam penitus notas habere debet. Hanc cum primis, qua in republica litteraria vtique carere non possumus, ita possideat, vt dictio sit casta, ornata, sincera, fluens ex facili, verbo, vt naturali sua pulcritudine exsurgat oratio. Deinde philosophiam vniuersam, quæ est, ex mente Ciceronis, rerum diuinarum atque humanarum notitia, animo complecti debet; nec non historiam, vitæ magistrates, nunciam vetustatis, temporum testem; Antiquitates, sine quibus Auctores Classici vix intelligi possunt: orbis, cum antiqui, tum hodierni, cognitionem habeat. Et hæc omnia ac singula ita exactè, plene ac plane teneat, vt non solum sibi hæc sciat, sibi sapiat, sed & iusta methodo discipulis impertire norit. Quid? quod & Mathematicas disciplinas, quæ reliquis ministrant, & Poëticen attingisse oportet. Si enim, secundum Tullium, artes liberales cunctæ, communi quodam vinculo & cognatione inter se continentur, sponte sua fluunt inde, vt ille, qui scholam regit, ab illis sit paratus disciplinis, quæ pro captu discendum, ac ratione scholæ, cui præficitur, tradi possunt ac debent.

Scholæ publicæ an priuatis sint præferendæ, quæstio est dudum, & nostris temporibus agitata multum. Scimus quid beatus Thomasius, Fridericianæ nostræ quondam decus illustre, quid alii hac de re senserint, quid viri æque eruditi reposuerint. Rollinus, ille Parisinus scholæ doctor, in medio quidem, ita tamen relinquere videtur, responsionem, vt publicis omnino primas partes deserat. Nec erit vt hoc argumentum multis disputem, quum Quintilianus iam suo tempore, vel ipso Rollino teste, illud abunde satis occupauerit, prærogatiua publicarum præ ceteris masculæ adserta. Neque rationes e longinquo arcessendas autumo, si vel hoc vnum consideremus, Auditores, non cuiusuis esse, pædagogum domesticum alere, & si vel sit, non vbiuis esse obuium idoneum,  
nec

neq̄ qui huic rei vnice vacare queat; id quod tunc apparet maxime, sicubi forte scholæ doct̄or publicus requirendus est, quam rarum sit hoc hominum genus.

Venio nunc ad prudentiam Scholasticam, quam bono scholæ rectori impono. Rector a regendo nomen sortitus, hanc, quam dixi virtutem, comitem perpetuam in suo regimine habeat, hæc ipsi facem præferat necesse est. Iccirco non potest non, quin vel ex solo nomine admonitus intelligat, quid sibi faciendum sit. Gubernatori quippe nauis, non tam laudi ducitur, scopulos maris, quod nauigat, ventorumque mores nosse, nisi & omni cura ac diligentia ita cursum teneat, ne in breuia ac Syrtes incidat, ne ad scopulos illidat. Et si forte, reluctantibus ventis, non recto, saltem obliquo cursu, eo perueniat, quo nauigatio est destinata. Dicam clarius. Scholæ rector, quippe bonus, id sibi negotii datum esse putet, omni studio, industria, consilio, prospicere de medijs, quibus res scholastica, cui præest, in melius prouehi queat, ne excidat voto, ne cadant vota publica. Id vt fiat, cum collegis identidem in medium consulat, conspiret amice cum iisdem. Nauos, si quos forte aduertat, tam in docendo quam discendo, emendandos curet. Si non possit per se, ephoros adeat, media suppeditet, qua ratione vitia, & circa quæ maxime peccari deprehendit, corrigi possint. Verbo, id agere debet sedulo, vt boni scholæ rectoris officium impleat ex asse; præceptores mandato munere vt fungantur integre; discipuli vt proficere se sentiant. Hoc si fiat, ex omni parte, apud nostrates, vt decet, prorsus sum persuasus, non defuturos, qui Gymnasium nostrum, hoc Musarum domicilium, frequentent; sed fore, vt res nostræ, paulo exinanitæ, incrementa capiant maiora. At vigilantibus iura esse scripta, legibus sancitum est. Non hic socordiae locus, non operi duntaxat, quod aiunt, operato. Sed hoc opus semper vrgendum, hæc rela semper pertexenda, semper inuigilandum, meditandum & prouidendum, qua facillima via, qua docendi methodo feliciori, hoc stadium decurratur. Sæpius mecum reputaui, Auditores, qui fiat, vt vna lingua latina, a pueritia vsque ad tot annos, nos vt plurimum occupet, & tamen vix & ne vix quidem percipiatur

## X

piatur plene; quum tamen linguæ exoticæ, v. c. Gallica, Italica, Anglica, anni vnus vel breuiori spatio, discantur haud raro, vt & scribendi & loquendi facultatem in illis adquiramus. Vix est vt adducar, linguæ latinæ per se hanc difficultatem inharere, sed, si quid recte sentio, methodo. Hic itaque moderator scholæ rationes omnes dispiciat, quæ præcipua huius remoræ causa sit, & qua ratione inueterato huic malo medelam adferat.

Et quid dicam, de sermone latino, vltro citroque, præsertim a profectoribus, instruendo? Cuius vsus vtplurimum in scholis nostris rarissimus, vt tantum non pudori sibi ducant, si vel verbulum excidat latinum haud iussum. Rationem equidem non video satis validam, nisi forte ad vitiosam orationem hac ratione adsuesci putaueris. At hæc, opinor, non sunt eiusmodi, vt propter ea sermo latinus intermitteri debeat. In quauis lingua, nisi vsus accesserit, ingentem difficultatem offendes, sicubi animi tui sensa depromendi necessitas exigat. Et mallem tamen discipulum, latine loquentem expedire, quamuis non semper sine vitio; quam plane elinguem & mutum. Loquendo nimirum loqui, sicuti scribendo scribere, discimus; id vsus comprobauit magister.

Postremo donum regiminis a Rectore postulo. Hic sicuti ad clauum scholasticum sedet; ita vigilem curam agat, ne quid res scholastica, sua ipsius culpa, vel vitio, detrimenti capiat. Auctoritate ac prudentia ad hoc opus est. Subordinati collaboratores ac collegæ, ne inter se dissideant, ad scopum vnum ac eundem, cunctos suos labores ac consilia, vt conferant, prospiciendum est. Memores ergo reddat: Concordia res paruas crescere, discordia dilabi maximas. Ipse vero rector non tumide, neque tamen timide, se gerat, vt recte factis, industria ac prudentia magis, quam verbis ambitiose quesitis, moderamini suo auctoritatem addat ac pondus. Vt præeuntem strenue, sequantur ceteri, pro virili sua quisque parte, lubentes volentesque.

Erga iuuentutem scholasticam, vtplurimum indomitam, monitoribus asperam, eo sit animo, vt non nimis rigide, neque tamen plus iusto remisse tractetur; vt paterne magis quam false riga-

riga-

rigatur; vt manu quasi ad humanitatis studia ducatur. Immori-  
geri vero & incorrigibiles e schola eiiciantur, ne contagio laedant  
ceterum. Ne probi inter peruersos aliquid adsciscant vitii: ne in-  
ter fatuos stolidi, inter ignaues socordes euadant. Vt denique  
ingenia ad intelligentiam, ad diligentiam, ad honestam æmulation-  
nem excitentur; vt ipsi intelligere discant, quam pulcra sit vir-  
tus, quam dulce cum Musis contubernium, quam scientia per se  
amabilis, quam ingens fructus illos, qui hæc prima tempora rite  
dispensauerint, maneat. O vos felices, quotquot hic adestis  
nostratum, si hoc monitum hodie in rem vestram vertatis!

Sed ad finem properandum est. Ad Te itaque, CLARIS-  
SIME MILLERE, mea se vertit oratio, te iam compello. Ni-  
mirum nemo nostrum nescit, ex obitu plane inopinato, Gymnasii  
Rektoris, M. IOANNIS MICHAELIS GASSERI, Viri de schola no-  
stra optime meriti, illam capite suo fuisse orbatam. Præfuit  
huic Lyceo, p̄r quatuor & quod excurrit lustra, summa cum  
laude. Fuit, quod nemo cordatus inficiabitur, vir doctus, inge-  
nio, stilo, oratione præclarus: verbo, iis ingenii dotibus ac præsi-  
diis, quæ bonum scholæ rectorem efficiunt, ornatus si quis alius.  
At vixit, & habet omnino Gymnasium quod dolear, hunc sibi ere-  
ptum esse ante diem. Haud ingratae vero Musæ eius memoriæ  
parentant. Antistites, Domini Scholarchæ, quorum hæc curatio  
est, quæsiuere, in locum vacuum qui surrogari posset.

Quæsiuere non hominem nouum, sed qui iam in hoc, quod  
requiritur studiorum genere, orbi litterato se probauerit. Inue-  
nere tandem in Tua, CLARISSIME MILLERE, persona: pro-  
inde rite captis, vt ita dicant, auspiciis, Te elegere. Electum ad  
Amplissimum Senatum, Gymnasii Patronum, detulere vocandum.  
Vocatus, & a Supremo Senatu rerum Ecclesiasticarum huius Du-  
catus, qui Magdeburgi est, confirmatus, accepta conditione ob-  
lata, iam huc concessisti, tuique causa hæc celebritas conflata  
est.

Quod itaque felix sit, faustum ac salutare, vniuersæ huic  
Ciuitati ac Gymnasio, ego, auctoritate dicti Amplissimi Senatus,  
Gymna-

XII

Gymnasii Patroni, mihi delegata, aut si mauis, demandata, Te,  
IOANNEM PETRVM MILLERVM, in hanc Prouinciam Re-  
ctoris huius Gymnasii, vsque adhuc vacuam, publice ac solenni-  
ter mitto.

Audiuisti, quid quantumque officio boni scholæ Rectoris  
incumbat. Et fateor omnino, si omnia, vt par est, implere velis,  
quod vt velis nulli dubitamus, duram tibi prouinciam imponi.  
Fac itaque, præsta te virum; præsta te bonum scholæ rectorem,  
atque res tuas feliciter age. Deus vero, Ter Optimus Maximus,  
adsit cunctis tuis conatibus, iisque clementer adspiret. Conser-  
uet, augeat animi corporisque robur; addat denique annos ho-  
minis longæui: vt cuncti tui labores cedant in Dei  
potentis gloriam, huiusque Gymnasii solidum  
emolumentum.

D I X I.



VDB







2

ORATIO  
DE  
BONI SCHOLAE RECTORIS  
OFFICIO

QVA  
AVCTORITATE ET NOMINE  
AMPLISSIMI SENATVS HALENSIS

CLA  
M. I

GYMNAS

A. L

MAT  
SCABIE

HAI

M  
V M

DVC.

DEN  
SOR

S.

